

PARS PRIMA

SECTIO I.

DE FIDE CATHOLICA

TITULUS I.

DE REVELATIONE.

Cum universa propter semetipsum operatus sit Deus (Prov. 16), finis ultimus institutionis rerum Dominus est, a quo omnia procedunt. Homo vero singulari bonitate et amore ad imaginem et similitudinem Dei creatus, speciali amore et pietate ad Deum tendere debet. Religio ergo et pietas in Deum est maximum et primum mandatum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua*, vox naturae est, testimonium conscientiae nostrae, opus legis scriptum in cordibus nostris; ita ut sint inexcusabiles qui insipientes in corde suo dixerunt: *Non est Deus*; quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas. (Ad Rom. 1, 19, 20). Ex attenta quidem factorum huius mundi meditatione, utcumque possumus *admirari* divinam sapientiam, et praedicare gloriam Creatoris, quia omnia in sapientia fecit, et effudit illam super omnia opera sua (Eccl. 1, 10);

ex hac altissimae Dei virtutis consideratione, reverentiam et timorem divinae Maiestatis acquirere; et ex rerum pulchritudine et bonitate, in amorem divinae pulchritudinis et bonitatis accendi. Perversi autem homines inventi sunt, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (Ad Rom. I, 21, 22). Hi sunt super quos revelatur ira Dei de coelo, quoniam veritatem Dei in iniustitia detinent (Ad Rom. I, 18); et commutaverunt illam in mendacium; coluerunt creaturam eique servierunt potius quam Creatori; mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium; propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae (Ad Rom. I, 25, 26), et reprobum sensum (Id. id. I, 28). Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis (Ps. 48, v. 21). Sed Deus omnipotens et misericors, vere Pater numquam hominem dereliquit; sed cum valde longe esset a veritatis via, ad ipsam denuo volens illum misericorditer reducere, multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis: novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio (ad Hebr. I, 12), ut nova mentis nostrae oculis lux suae claritatis infulgeret, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Huius igitur Concilii provincialis Patres cum Oecumenico Vaticano Concilio in primis profitentur:

I. — Deus, rerum omnium principium et finis, naturali rationis lumine a rebus creatis certo cognosci

potest; attamen placuit eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, seipsum ac aeterna sua decreta humano generi revelare (Conc. Vat. Sess. III, c. 2. *De revelatione*).

II. — Huic supernae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt, in praesenti quoque humani generis conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda, scilicet, bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum (I. ad Corint. II, 9. — Conc. Vat. sess. III, c. 2. *De revelat.*).

TITULUS II.

DE FIDE ET DOCTRINA ECCLESIAE.

Aeterni Patris Verbum sua immensitate universa comprehendens, ut hominem per peccata minoratum in celsitudinem divinae gloriae revocaret, *brevi fieri voluit, nostra brevitate assumpta, non sua deposita maiestate* (S. Thom. opusc. I.). Ut vero a coelestis verbi amplectenda doctrina nemo excusaretur, quod diffuse per diversa Sacrae Scripturae volumina docet eruditos, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, ad synopsis brevem redigens, omnibus et singulis pia Mater Ecclesia credenda proponit.

Sed cum inter omnia pastoralis muneris officia illud praecipuum habendum sit, ut incorrupta et in-

violabilis semper permaneat fides, praecipua fidei catholicae dogmata, quae Oecumenica Concilia vel, Apostolica Sedes supremo suo ac infallibili magisterio definivere, haec provincialis Synodus, rite in Domino congregata, recensere ac profiteri statuit, hac praemissa declaratione: se magna cum reverentia suscipere ac venerari Sacrorum Librorum indicem, a Sacrosancta Tridentina Synodo sancitum (Sess. IV); traditiones ex ore Christi ab Apostolis acceptas, et ab ipsis, Spiritu Sancto assistente, ad nos usque transmissas; symbolos fidei omnesque dogmaticos canones ab Oecumenicis Conciliis confectos, et a Summo Pontifice confirmatos; infallibile ipsius Pontificis et Ecclesiae magisterium.

I. — Unus solus est verus Deus, aeternus et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, Spiritus Sanctus ab utroque pariter absque initio semper et fine: Pater generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens; consubstantiales et coaequales coomnipotentes et coaeterni (Conc. Lat. IV, cap. *Firmiter*).

II. — Unum universorum principium, Creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (Conc. Lat. IV, cap. *Firmiter*).

III. — Diabolus enim et daemones alii a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti

sunt mali: homo vero diaboli suggestionem peccavit (Conc. Lat. IV, c. *Firmiter*). Adae peccatum a solis protoparentibus commissum, origine unum, propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique proprium (Conc. Trid. sess. V, can. 3), Beata et Immaculata Dei Genitrice Maria singulari Dei privilegio intuitu meritorum Christi immuni praeservata (Pius IX, Bulla *Ineffabilis*, die 8 Decembris 1854). Porro Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos (2. S. Petri II, 4), homini vero tempus poenitendi concessit.

IV. — Unigenitus Dei Filius ab aeterno natus de Patre, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione in tempore conceptus, verus homo factus ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis, quin etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, mortuus et sepultus est, descendit ad inferos, surrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris et ipse constitutus iudex vivorum et mortuorum, reddens unicuique secundum opera eius, tradet regnum Deo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.

V. — Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur (Conc. Lat. IV, c. *Firmiter*), et portae inferi non praevalent adversus eam (Matth. XIV, 18).

VI. — In eadem Ecclesia idem Sacerdos et victima est Iesus Christus, et in sacrificio per consecrationem panis et vini, conversio fit totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi Domini Nostri, et totius

substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Quae conversio convenienter, et proprie a Sancta Catholica Ecclesia *Transubstantiatio* est appellata (Conc. Trid. sess. XIII, c. IV. *De transubstant.*). Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus virtute potestatis Ecclesiae, quam Iesus Christus Apostolis et eorum successoribus concessit.

VII. — Sacramenta novae legis sunt omnia a Iesu-Christo Domino Nostro instituta; nec plura nec pauciora quam septem, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium, et haec omnia sunt vere et proprie Sacramenta (Conc. Trid. sess. VII, *De Sacramenti in genere*, c. 1).

VIII. — Romanus Pontifex vere successor est Beati Petri, et consequenter Pastorum omnium Princeps et totius Ecclesiae militantis visibile Caput, non honoris tantum, sed verae propriaeque iurisdictionis primatum habens: et ipse cum ex cathedra loquitur, vera infalibilitate gaudet.

IX. — Societatis sive domesticae sive civilis auctor est Deus: ipse matrimonii, eiusque perpetui et indissolubilis nexus institutor, per gratiam sacramentalem illud perficiens. (Conc. Trid. sess. 24 *De sacram. matrim.*). Ipse mutuis officiis parentes filiis, et filios parentibus colligat (Deut. v, 16); ab ipso omnis potestas ordinatur (Ad Rom. XIII, 1). Et ideo potestati subditi esse debent homines, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. (Ad Rom. XIII, 5). Omnis igitur societas in aeterna lege fundatur et in praeceptis iustitiae et caritatis solidatur.

TITULUS III.

DE FIDEI NATURA, NECESSITATE ET PRAESTANTIA.

Ex magna Dei misericordia ad vitam aeternam per claram Dei visionem in coelis vocati, oportet, ut quasi in speculo iam nunc incipiamus cognoscere gloriam Ipsius, quam dein facie ad faciem sumus contemplaturi. Inchoatio autem vitae aeternae fides est. Quapropter eam Apostolus rerum sperandarum substantiam et argumentum non apparentium vocat. Substantia rerum sperandarum dicit, quia fundamentum et radix omnium virtutum est, et vere christianus nemo dicitur, nisi fide informetur; ita ut fides non sit sigillum tantum, sed forma, qua homo ad vitam aeternam vere disponitur. Argumentum non apparentium dicit, quia lumine supernaturali infuso, absque ulla dubitatione firmiter credimus quidquid a Deo nobis revelatum est, et sola auctoritate divina assentimur omni veritati.

Nil ergo certius fide nostra, quae a coelesti principio gratiae excitatur atque fovetur, quae non testimonio creaturarum, sed divino testimonio innitur, quamque ipse Unigenitus Dei Filius, in cruce pendens, suo pretioso sanguine et morte sigillavit. Nihil sanctius, nihil magis necessarium et fecundum fide nostra. Per fidem anima coniungitur Deo, quasi spirituali quadam desponsatione: *Sponsabo te mihi in fide* (Osee II, 20); sine fide nemo salvatur, quia iustus ex fide vivit, et sine fide impossibile est Deo placere (Ad Hebr. XI, 6). Fides est lucerna illa, quae, lucens in caliginoso loco, generi humano, supernam ostendit civitatem, quae peregrinantibus nobis proposita est meta itineris (S. Petr.

Epist. I, 9). Huic ergo saluberrimae doctrinae de fide nos conformare cupientes, sequentia recensere statuimus:

I. — Fides est virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, veritates ab eo revelatas credimus, non propter intrinsicam rerum veritatem, naturalis rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

II. — Cum Deus sit, qui de tenebris vocavit nos in admirabile lumen suum (I. S. Petr. II, 9), fides, qua fideles sumus, humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis (Conc. Trid. sess. 6 c. 8), in se, etiamsi per caritatem non operetur, est donum Dei supernaturale; ac proinde ipsa fides, fideique assensus divinae gratiae opus est.

III. — Fides non solum est subsidium ad citius, facilius et universalius intelligenda et assequenda ea, quae de Deo naturali lumine cognosci possunt, sed auxilium necessarium, propter elevationem ad supernaturalem ordinem, ad quem nemo propriis naturae viribus potest ascendere; nec non propter firmitatem et maiorem certitudinem, sine ulla prorsus dubitatione et errore, etiam in iis, quae naturalis ratio de Deo potest investigare.

IV. — Cum Apostolus dicat: « Graecis et Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum (Ad Rom I, 14), cumque Christus mandaverit praedicari Evangelium omni creaturae, et omnem hominem venientem in hunc mundum illuminare venerit ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, fides non solum rusticis, mulierculis et pueris, sed omnibus cuiusque

ingenii et conditionis hominibus, necessaria est ad salutem aeternam consequendam.

V. — Sicut actus supernaturalium virtutum sub adiutorio gratiae manent liberi, ita etiam consentiendo veritati fidei manet libera obedientia: alioquin, nec meritum iis, qui credunt, esset; nec iudicium terribile iis qui non credunt.

VI. — Quia fides sine operibus mortua est, et neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides quae per caritatem operatur, firmiter credimus cum Trid. Syn. (sess. VI. *De iustific.* can. IX et XII), quamvis sine fide nemo salvari potest, tamen non sola fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur; et nulla ex parte necesse esse, cum suae voluntatis motu praeparari atque disponi; vel fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam obtinendae divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur.

VII. — Cum fidei doctrina non sit philosophicum aliquod inventum, qui corrigere eam, mutare, vel in alio sensu ab eo, quem semper tenuit et docuit Magistra infallibilis Sancta Mater Ecclesia, intelligere praesumit, sciat hac ipsa praesumptione et temeritate, se negare revelationem et prorsus evertere fidem.

TITULUS IV.

DE PROFESSIONE FIDEL.

Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negaverit me coram homi-

nibus, negabitur coram angelis Dei, (Luc. XII. 8, 9). Duo ergo praecepta a Domino Nostro Iesu Christo clare intimantur: Unum de fide palam profitenda, alterum de fide numquam neganda.

I. — In nullo igitur casu, etiam vitandae mortis, licet fidem, corde retentam, ore vel facto negare, falsamve exterius profiteri, seu simulare. Numquam ergo licet subscribere formulae servandi ea, quae fidei catholicae adversantur, etiamsi subscribens interius dicat, se nolle a vera fide deficere. (Bened. XIV. *De Syn. Dioec.* Lib. 13 c. 20).

II. — Publica fidei professio urget nos quoties, nisi eam profiteamur, honor Deo debitus, vel spiritualis proximi necessitas, caperet detrimentum. Censetur autem subtrahi honor Deo debitus, ex defectu huius professionis, quando, illa ommissa, Deus magna afficitur iniuria, vel debito honore privatur. Similiter spiritualis proximi necessitas, exigit fidei professionem, quando, illa ommissa, vel a fide averteretur, vel ab ea amplectenda impediretur.

III. — Synodi Tridentinae decreto hac de re obsequi omnino cupientes, decernimus ac iubemus fidem profiteri coram proprio Episcopo seu eius Vicario Generali, vel alio specialiter deputando, et iuxta formulam, a Pio IV editam in Constitut. *Iniunctum Nobis*, cum additionibus a Pio IX praescriptis per Sacrae Congregationis Concilii decretum diei 20 Ianuar. ann. 1877, omnes infra adnumerandos. Hi autem erunt:

a) Omnes, qui ex iure vel consuetudine Concilio Provinciali vel Dioecessanae Synodo intersint.

b) Vicarii Generales priusquam iniunctum sibi officium exercent.

c) Vicarii foranei constituti.

d) Omnes qui in Cathedralibus Ecclesiis dignitatem, canonicatum, aut beneficium residentiale obtinuerint.

e) Quicumque qui aliquo modo curam habent animarum.

f) Examinatores Synodales.

g) Seminarii Moderatores.

h) Quicumque sive clericus sive laicus qui in Seminariis maioribus et minoribus, Institutis, Collegiis, aut parochialibus scholis, vel aliis per legitimam obedientiam ecclesiasticae iurisdictioni subiectis, etiamsi in illis rudimenta tantum pueri vel puellae doceantur, sacras vel humanas litteras munus docendi susceperint; pro ludimagistris formula brevi fidei adhibita et vernaculo idiomate expressa.

i) Omnes qui vel ex apostasia vel ab haeresi ad Ecclesiam veniunt, adhibita tamen speciali abiurationis formula.

IV. — Dignitates, Canonici, praebendas obtinentes, aut provisi quibuscumque beneficiis, curam animarum adnexam habentibus, teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses, per seipsos fidei professionem emittere: quod si neglexerint, poenis a iure praescriptis, vel aliis ab Ordinario impositis, subiiciantur.

V. — Praecipiant Episcopi omnibus curam animarum habentibus, et exhortentur divini verbi praecones, ut frequenter in concionibus et catechesibus instruant Christi fideles de magna fidei praestantia, natura et necessitate ad salutem, ut magnum Dei beneficium semper aestiment, quod sola bonitate ipsius ad admirabile lumen suum nos vocare dignatus est. Hoc praecipue tempore tot errorum ac blasphemiarum,

quibus divina Maiestas procaciter ab impiis offenditur, moneantur fideles de publica fidei confessione.

VI. — Mandamus ut in omnibus festis diebus in Missa parochiali, post Evangelium, aut in Missis etiam privatis, ubi maior fuerit populi concursus, ad parochi iudicium, vel ante vel post catechismum, aut post Sanctissimi Rosarii recitationem publice in Ecclesiis faciendam, clara et distincta voce a parochis vel aliis sacerdotibus recitentur actus fidei, spei, caritatis et contritionis; ita ut ab universo populo adstante alternatim repetantur.

VII. — Summopere oportet, ut in publicis orationibus fideles una cum clero agant identidem Deo gratias pro inaestimabili catholicae religionis beneficio, quod ipsis omnibus clementissime donavit, atque ab eodem misericordiarum Patre suppliciter petant, ut eiusdem religionis professionem in regionibus nostris tueri, et inviolatam conservare dignetur (Pius IX Encycl. *Nostis*.... 8 Dec. 1849).

VIII. — Hoc votum adimplere cupientes, decernimus, ut, in hac Nostra Provincia ultima cuiuslibet anni die specialiter gratiae agantur Deo pro universis beneficiis collatis, et in primis pro dono fidei, et supplicationes fiant pro iugi eiusdem in Regione Nostra conservatione.

TITULUS V.

DE FIDEI ET SCIENTIAE DISCRIMINE ET CONCORDIA.

Primum principium et causa altissima omnium rerum Deus est: quapropter sicut in illo omnis existentiae et motus est origo, ita et veritatum omnium fecundissima ratio. Nunquam itaque vera sapientia cum

prima veritate pugnabit, nec impietas verae scientiae iura unquam possidebit: Quasi insipientiam, vera scientia impietatem depellit: veritatem meditabitur guttur meum et labia mea detestabuntur impium. (Prov. VIII. 7). Oportet autem verum discrimen, inter fidem et scientiam stabilire, ne rationis iura supra modum exaggerantes homines extollant se adversus scientiam Dei, et in servitutum redigere intellectum in obsequium Christi, timide aut effreni recusent. Quo circa huius provincialis Synodi Patres, perpetuum Catholicae Ecclesiae sensum, et Oecumenici Vaticani Concilii doctrinam secuti, statuunt:

I. — Cum vere sapientis sit, a visibilibus ad invisibilia assurgere, a creaturis in Deum; et cum scientia non sit aliud quam cognitio rerum per causas ex lumine naturali comparata, scilicet ex lumine ab ipso Deo immisso et irradiante super creaturas, ut in ipsis, quasi per speculum et in enigmate imaginem Creatoris inspicere et admirari possimus, nihil est quod in vera scientia Veritati divinae, alias supernaturales veritates revelanti, repugnet, et incredulitatem et impietatem foveat.

II. — Sicut ea, quae naturaliter rationi sunt insita, sive in ipso lumine primorum principiorum, vel per demonstrationem ex primis principiis deducta, adeo verissima sunt, ut nec possibile sit, cogitare, ea esse falsa; ita quod fide tenetur, quum tam evidentem divinitus confirmatum sit, falsum cogitare non licet.

III. — Cum principia, naturaliter nota, in divina Sapientia contineantur, quidquid huiusmodi principiis contrarium est, divinae Sapientiae adversatur, et a Deo esse non potest. Pariter, cum fidei dogmata, etiam ea, quae rationem naturalem omnino superant, ab ipsa

divina Sapientia procedant, quidquid huiusmodi supernaturalibus veritatibus contrarium est, divinae Sapientiae adversatur, et a Deo esse non potest. Procul dubio igitur tenendum est, argumenta quae contra fidei dogmata afferuntur, non procedere ex primis principiis, nec demonstrationis vim habere, sed inter meras fabulas et fallacias esse releganda.

IV. — Duplex est cognitionis ordo, non solum principio sed obiecto etiam distinctus; principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.

V. — Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero umquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effectis habeantur. Omnem igitur assertionem, veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus (Conc. Vatican. sess. III. c. 4).

VI. — Nec obstat quod imbecillitas intellectus nostri, qui ad manifestissimas et maxime ad altissimas supernaturales veritates se habet, sicut oculus noctuae ad lumen solis, mysteria fidei non capiat, et praesumptio eius confundatur. Non enim omnia, quae Deus in seipso intelligit, capi humana ratione fas est; ad hoc nullus creatus intellectus sufficeret: *ecce enim Deus vincens*

scientiam nostram (Iob. xxxvi, 26). Non licet, iuxta S. Augustini effatum, negare manifestum, quia occultum ignoramus. Et sicut maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a sapiente proponuntur, falsa esse assereret, quia ea capere non valet; maioris temeritatis, praesumptionis et stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur, quia rationes assequi non potest.

VII. — Non solum autem fidem et scientiam inter se dissidere absurdum est, sed vera concordia sociari et mutuis auxiliis adiuvari constat.

Quamvis enim admirabile fidei lumen non sit persuasibilibus humanae sapientiae verbis diffusum, sed in ostensione spiritus et virtutis, et etiam in praesens ab Omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut fidelium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant, neque spernenda, nec posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus infundit, et tantum abest, ut superaddita fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad maiora reddat.

VIII. — Attamen ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora affectare ne audeat, neque easdem veritates supernaturales aut propria virtute metiri aut pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summo honoris loco habeat, quod sibi liceat in morem ancillae et pedisequae, famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione Dei beneficio attingere.

IX. — Quia omne, quod verum est, a Deo pro-